

I. N. 7.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
TERTIA,  
DE  
FIDE CORDIS  
ET  
CONFESIONE ORIS,

*Ad locum Rom. X, 10.*

Quam  
Auxiliante DEO Triuno

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Maxime Reverendi, Amplissimi*

*atq; Excellentissimi DOMINI*

BERNHARDI WAGNERI,

SS. Th. D. & P.P. Ordin. ac Senioris Celeberrimi,

Convent. Ecclef. PRÆSIDIS Gravissimi, Capit. Thom.

Canonici Meritissimi, Facult. Theol. h. t.

DECANI Spectabilis,

*DN. Fautoris ac Præceptoris sui Summe Venerandi,*

SOLENNITER defendendam suscepit

M. GEORG. GUILHELM. LICHTENBERGER,

Colmariensis.

*Ad diem 20. Februarii A. O. R. M DCC X.*

Horis locoque solitis.

Coll. diss. A  
228, 45

ARGENTORATI

Literis JOHANNIS PASTORII. *Lichtenberg*

*Diss. A. 228 (45).*

V I R O

*Plurimum Reverendo, Amplissimo, Præclarissimo  
atq; Doctissimo*

D O M I N O

M. ANDREÆ LICHTEN-  
BERGERO,

Ecclesiæ Colmariensis Aug. Conf. addictæ  
Pastori Seniori optimè Merito,

*Patruo, Fautori, Patrono, Mæcenati,*

*& ex Sacro Baptismatis Fonte Susceptori suo,*

*filiali amore, observantia, honore*

*atq; obsequio ad mortem usq;*

Colendo,

Pro singularibus, iisdemq; innumeris,  
per omnes vitæ dies in se collatis  
beneficiis,

Dissertationem hanc Theologicam

*cen*

Studiorum suorum Academicorum

& debitæ atque sinceræ gratitudinis

alterum specimen atq; testimonium

publicum

dicat, consecrat, offert,

*perpetuus Eius Cliens*

M. GEORGIUS GUILHELMUS LICHTENBERGER.



C. B. D.

§. I.



Incepimus in præcedente Disputatione illa Bellarmini argumenta examinare, quæ Doctrinæ nostræ de Fide justificante opposuit, eamq; nec notitiam esse, nec fiduciam, gratiam & misericordiam Divinam specialiter applicantem, probare allaboravit. Pergemus nunc in suscepto illo opere, idque eo lubentius, quia occasio nobis suppeditatur varia Sacræ Scripturæ loca explicandi & vindicandi, quibus alienum plane sensum attribuere, iisque ad præconceptam suam opinionem abuti placuit Bellarmino: quæ etiam ut plurimum ita comparata sunt, ut causam ejus nil juvent, sed destruant potius, nostramque egregie confirmant. Ex professo autem in Capite VI. Libr. I. de Justif. in eo versatur, ut ostendat, fidem justificantem non esse fiduciam, cumq; tribus prioribus argumentis, in Disputatione præcedente jam à nobis excussis, id frustra tentasset, telam inceptam sequentem in modum pertexit: *Quarto, inquit, probatur ex illis verbis, ad Ephes. 3. In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus. Quod si habemus accessum ad DEum in confidentia, seu fiducia, per fidem, certe sequitur, ut fides non sit fiducia, sed fiducia causa; alioqui sensus hujus loci esset, habemus accessum in confidentia per confidentiam, quod absurdum esse non dubium est.* Hæc Bellarminus. Nos vero respondemus: Consequentiam hanc esse nullam: habemus accessum ad DEum in confidentia, seu fiducia, per fidem: Ergo fides non est confidentia, seu fiducia, eamq; in se non continet: idem enim est, ac si hunc in modum argumentarer: per animam homo habet vitam, Ergo, anima non est vita, eamq; in se non continet. Item: per Verbum DEI habemus veram DEI notitiam, Ergo, Verbum DEI non est vera de DEO notitia, nec eandem in se continet. Imo retorque-

mus hoc argumentum in auctorem suum atq; regerimus: quia fides est fiducia eamque includit, ideo per fidem habemus fiduciam & accessum ad DEum in confidentia. Quando vero Bellarminus porro excipit: fides est causa fiduciæ, quia per fidem, ut Apostolus ait, fiduciam habemus, id concedere, nostramque exinde sententiam stabilire, possumus: esse, nimirum, fidem in JESUM Christum causam illius confidentiæ & fiduciæ, qua accedimus ad DEum, causam, inquam, non externam, efficientem, & à fiducia illa separatam & realiter diversam: sed causam internam, formalem, fiduciamq; formaliter includentem: hanc enim significationem habere particulam, *per*, qua Apostolus utitur, *per fidem*, inquit, *habemus fiduciam & accessum in confidentia*, Bellarminus ipse, licet hoc loco illud sibi in memoriam non revocaverit, alibi agnovit, uti ex iis constat, quæ Libr. II. de Justif. Cap. II. §. IV. disserit hunc in modum: *Si quis proprie loqui velit, non utetur voce, propter, sed, per, cum formalem causam designare voluerit. Si quis enim querat, per quid vivit homo? per quid ignis est calidus? per quid lucent sidera? recte respondetur, per animam, per calorem, per lucem, quæ sunt cause formales. Accommodamus hanc Bellarmini declarationem ad citatum Apostoli locum: in quo, Christo, habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem Ejus: atq; inde colligimus, esse inter fidem in Christum, & inter fiduciam illam, qua credentes ad DEum accedunt in confidentia, formalem, intimam atque indivulsam connexionem, quemadmodum inter animam vitamq; hominis: sicut anima est causa formalis vitæ, vitam formaliter gignens, eandemq; intime continens & includens, ita ut vita nequaquam sit separatum aliquid atque sejunctum ab anima: ita quoq; vera fides in JESUM Christum est causa formalis fiduciæ & confidentiæ illius, quam habet homo fidelis, & cum qua ad DEum accedit, eam formaliter in ejus animo gignens, eandemq; intime continens & includens, ita ut fiducia & confidentia illa nequaquam sit separatum aliquid atque sejunctum à vera fide in JESUM Christum. Hinc itaq; satis evidenter constat, frustra ex prædicto Pauli loco concludere Bellarminum: per fidem in Christum habemus fiduciam, Ergo, fides non includit, non continet in se fiduciam: quemadmodum frustra quis colligeret: per animam*

habe-

habemus vitam, Ergo anima non habet, non continet in se vitam. Quin oppositum exinde colligitur hunc in modum: per fidem habemus fiduciam, Ergo, fides formaliter fiduciam includit, eamque in se continet: sicut recte quoque colligitur: per animam habemus vitam: Ergo, anima formaliter vitam includit, eamque in se continet.

§. II. Sed sequitur adhuc exceptio aliqua Bellarmini, in verbis antea citatis expressa, eaque ab absurdo consequente desumpta, si statuatur, fidem denotare fiduciam, sive, confidentiam, *alioquin enim, ait, sensus hujus loci esset, habemus accessum in confidentia per confidentiam, quod absurdum esse non dubium est.* Verum quod absurdum hoc attinet, illud, primo, tantum non est, quantum Bellarmino videtur, utpote nuda ejusdem vocabuli repetitione constans, nec quicquam, quod rem ipsam attinet, falsi involvens: *habemus accessum in confidentia per confidentiam.* Haud enim absimilis est hæc locutio illi, qua ipse Apostolus Rom. I, 17. usus est, *justitia DEI*, inquit, *revelatur in Evangelio ex fide in fidem.* Deinde, si vel maxime id absurdum dicendum foret, sane non nisi in Bellarmini cerebro natum esset, ex lusu, nempe, verborum eorumque permutatione, qua ei uti placuit, qua si & nos uti vellemus, complura absurda similia ex manifestis rerum definitionibus, ex conceptibus earum formalibus & permutatione terminorum æquipollentium exsculpere possemus: ex. gr. rectissime dico: homo per rationem suam intelligit & vult, sive, habet intellectum & voluntatem. Si quis vero pro suo lubitu verba captare & mutare vellet, ut Bellarminus verba Apostoli antea citata, posset simile absurdum exsculpere ac dicere: Quod si habemus intellectum & voluntatem per rationem, certe sequitur quod ratio non sit intellectus & voluntas: sed intellectus & voluntatis causa; alioqui sensus hujus dicti esset: homo habet intellectum & voluntatem per intellectum & voluntatem, quod absurdum esse non dubium est. Imo ex illis verbis, quibus antea significationem vocabuli, per, exposuit Bellarminus dixitque: *si quis querat, per quid vivit homo? recte respondetur, per animam:* eodem procedendi modo, idem absurdum elici potest, nempe, per animam habemus vitam & progressum in vita, Er-

go, anima non est vita, nec continet in se vitam, alioqui enim sensus dicti esset: habemus vitam & progressum in vita per vitam, quod absurdum esse non dubium est. Sed quicquid, tandem, sit de hoc absurdo, illud, certe, non nisi in Bellarmini verbis, ab ipso pro suo lubitu positus, occurrit, nequaquam in Verbis Apostoli, quæ commodum planumque sensum habent, absq; omni absurdo, retenta nostra sententia atque expositione, hunc nempe: In quo, Christo, habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem Ejus, qua Eum amplectimur, quippe quæ fides non tantum notitia atque assensus intellectus est, sed etiam fiducia, qua voluntas nostra in Verbo Christi confidit, & in Ejus gratia & veritate plane acquiescit. Quid, quæso, hic absurdi?

§. III. Addit vero Bellarminus in eodem paragrapho aliud Scripturæ testimonium, quo probare vult, fidem non esse fiduciam. *Non dissimiliter*, inquit, *distinguitur fides à fiducia Matth. 9. Confide filia, fides tua te salvam fecit. Ubi excitatur ad fiduciam concipiendam mulier illa, quæ jam ex fide sanata fuerat.* Verum & hic locus nihil obest nostræ sententiæ, sed potius egregie eandem confirmat, id quod tunc manifeste apparebit, si sensum Verborum Christi & facti statum recte consideraverimus. Habetur ibi historia mulieris sanguinis fluxum passæ, quæ cum fide & fiducia insigni ad Christum accessit antequam sanata fuit, id quod S. Matthæus v. 21. testatur, in quo hæc fiduciæ & fidei plena verba ejusdem refert, *dicebat, inquit, intra se, mulier illa, si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Unde apparet manifeste, Bellarminum non recte loqui, quando ait: *excitatur ad fiduciam concipiendam mulier illa:* non enim excitata fuit ad fiduciam concipiendam, quippe quam antea jam conceperat, verum excitata fuit ad fiduciam antea conceptam continuandam & ad perseverandum in illa, ita ut Verborum Christi sensus hic sit: *Confide filia, fides tua te salvam fecit:* id est, perge & persevera in fiducia & fide tua, quam animo prius concepisti, & cum qua ad Me venisti, meumque vestimentum tetigisti, fides enim tua te salvam fecit. Ex hoc verborum Christi sensu evoluto apparet evidenter, fundamentum concludendi quo Bellarmini argumentum  
nititur,

nititur, quasi nimirum mulier jam ex fide sanata excitata fuisset ad fiduciam demum concipiendam, & consequenter fides à fiducia distincta & diversa foret, falsum esse. Uti vero argumentum, quod contra nos necere voluit Bellarminus, nullum est; ita aliud ex iisdem Christi Verbis pro nostræ sententiæ confirmatione neci potest, idque planum & manifestum. Exposuit, nempe, Christus fidem mulieris, & ad fidei perseverantiam eandem excitavit, verbis istis: *Confide filia, fides tua te salvam fecit*: Quænam autem & qualis fides istius mulieris fuerit, de qua in posterioribus verbis Dominus ait: *fides tua te salvam fecit*, ipse exponit, in prioribus: *confide filia*, quibus eam ad fidei continuationem & perseverantiam excitavit, atque hac ratione declaravit, quod crediderit confidendo, & quod ulterius credere debeat confidendo, & quod fides ejus fuerit confidentia, sive, fiducia. In eodem Paragrapho ex alio adhuc testimonio demonstrare vult Bellarminus, fidem non esse fiduciam, quando sic pergit: *Et in priore ad Timoth. C. 3. qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & mutam fiduciam in fide qua est in Christo. Ubi fiducia in fide acquiri dicitur, quia potest esse fides sine tali fiducia.* Sed & hæc consequentia prorsus infirma est: non enim sequitur: fiducia acquiritur in fide, Ergo, fides non est fiducia, vel, fides non continet fiduciam. Imo inverti potest argumentum pro demonstranda fidei fiducia hoc modo: quia fides est fiducia, ideo in fide & per fidem acquiritur fiducia, & hoc ipso quo quis fidem habet, habet quoque fiduciam, & quo majus incrementum acquirit fides, eo majorem etiam acquirit fiduciam. Sunt vero & clari Interpretes Bellarmini partibus addicti, qui locum hunc non de fide justificante, sed de doctrina fidei & de officio illam publice docendi libere & cum parrhesia, accipiunt, quorum sententia admissa, testimonium hoc est extra statum questionis & frustra allegatur, videatur Estii Comment. ad h. l. cuius hæc sunt verba: *alii non minus probabiliter Apostolum exponunt de fiducia seu libertate qua quis utitur erga homines, nimirum docendo, admonendo, corripiendo, increpando, idque secundum doctrinam fidei qua est in Christo.*

§. IV. Pergit autem Bellarminus in proferendis argumentis, & Quinto, ait, *accedant omnia illa loca, quæ docent, objectum fidei justificantis esse illa omnia, quæ Deus revelavit, quæ loca Cap. VIII. adferentur; neq; enim fiducia tam late patere potest, cum solum bona, & ea, ut futura respiciat.* Fundamentum ex quo concludere vult, fidem justificantem non esse fiduciam, desumit ab objecto, quod diversum habeat fides justificans, & diversum quoque fiducia, objectum enim fidei justificantis ait esse illa omnia, quæ Deus revelavit; fiduciæ vero objectum esse tantum bona futura. Sed nihil efficit hæc ratio. *Primo enim observandum est, quod fidei objectum duplex sit, vel generale, vel speciale: generale objectum fidei agnoscimus libenter esse omnia illa quæ Deus revelavit, omnia enim illa fides ut divina agnoscit, iisque assensum præbet: sed hic assensus generalis eorum omnium quæ Deus revelavit, non est fides justificans, ut Bellarminus quidem putat, qui per fidem non nisi assensum intelligit: nam talis assensus etiam est in diabolicis, qui, Deum ejusque veritatem agnoscentes, nulli eorum, quæ divinitus revelata sunt, assensum perhibere detrectant, quemadmodum etiam supra indicavimus. Sed fides justificans illa demum est, quæ, præter generalem assensum, quem omnibus illis quæ Deus revelavit præbet, speciali quadam ratione nostræ justitiæ & salutis fundamentum, Jesum Christum Dei Filium, Ejusque Gratiæ & redemptionem, morte & resurrectione Ejus nobis partam apprehendit, hoc ipso enim dum Christum, qui nostra est justitia, juxta Jer. XXIII, 6. XXXIII, 16. I. Cor. I, 30. amplectitur, veram illam justitiam, qua coram Deo consistere possumus, amplectitur, & fit fides justificans: & hoc facit fides quatenus est fiducia, apprehendens Christum Jesum, Deum & Hominem, Redemptorem nostrum, pro nobis mortuum & resuscitatum; qua etiam de causa Scriptura S. & imprimis Apostolus, fidem justificantem & vivificantem cum Objecto suo speciali, Christo pro nobis mortuo & resuscitato, conjungit, non tantum in nostro loco, *Si confitearis*, inquit, *in ore tuo Dominum IESUM, & in corde tuo credideris, quod DEUS illum suscitavit à mortuis, salvus eris;* sed etiam Rom. IV, 23. Vbi post descriptam fidem Abrahami ad justitiam ei imputatam,*

tam,



tam, rem ad Christianos quoq; in Novo Test. applicat hunc in modum: *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam. Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Hoc vero speciale fidei justificantis objectum, quod est Jesus Christus, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, male impugnat Bellarminus, exinde, quod fides, quatenus est assensus, habeat generale objectum, nempe, illa omnia, quæ Deus revelavit: per hoc enim non tollitur objectum fidei justificantis speciale, sed potius sub illo continetur, idque eo magis, imo maxime, quia speciale hoc objectum, Christus Jesus, Deus & homo, traditus à Patre suo propter delicta nostra, & resuscitatus propter justificationem nostram, inter illa omnia, quæ Deus nobis ad salutem nostram revelavit, maximum est atque præcipuum: male etiam Bellarminus ex objecto generali fidei colligit, fidem justificantem non esse fiduciam; nam licet fides, eo respectu considerata, quo est assensus generalis ad objectum generale, non sit fiducia, quod nobis nihil obest, quippe qui in fide justificante notitiam, assensum & fiduciam conjungimus: interim tamen eo respectu considerata fides, quo prædictum speciale objectum apprehendit, & Gratiam Christi & justitiam, & animum, affectum & sensum Christi nobis applicat, & in ea acquiescit toto corde, est manetque fiducia.

§. V. *Secundo observandum quoque est, Bellarminum de objecto fiduciæ non per omnia recte loqui, quando ait: neque enim fiducia tam late patere potest, cum solum bona, & ea, ut futura respiciat.* Nam licet prius verum sit, quod fiducia fidei justificantis non tam late patere possit, quam objectum assensus generale, quod est omne illud, quod Deus revelavit; (manifestum enim est quod inter illa omnia, quæ à Deo nobis revelata sunt, multa sint e.g. civilia, chronologica, historica, naturalia & similia, in quibus fiducia justitiæ & salutis collocanda non est, quippe quæ unice in Gratia Domini nostri Jesu Christi collocari debet:) interim tamen posterius illud à vero abludit, quando Bellarminus ait: *fiduciam solum bona futura respicere:*

H

his

his enim verbis confundit fiduciam spei cum fiducia fidei: Spes quidem est expectatio futurorum & fiducia spei solum bona futura respicit: Fides autem, ut antea ex Augustino diximus, omnium temporum est, & fidei fiducia non solum futura, sed etiam præsentia & præterita bona respicit & in illis acquiescit. Quoniam vero hanc fidei & spei fiduciam non Bellarminus tantum, sed alii etiam Ecclesiæ Romanæ Doctores confundunt, & quod inde consequitur, sententiam & mentem Nostræ Ecclesiæ Doctorum de fide justificante non recte percipiunt, rem ipsam uberius declarabimus, atque ostendemus, quomodo fiducia fidei non solum sit bonorum futurorum, ut illi putant. Dicimus itaque I. Fidem justificantem ejusque fiduciam esse quoque bonorum præteritorum. Hoc ostendimus ex Verbis Apostoli, qui Rom. IV. ult. *Christus*, ait, *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*: hæc traditio Christi in mortem & ex mortuis resurrectio est res dudum peracta & bonum præteritum: hoc vero bonum præteritum respicit homo fidelis, nititur eo toto corde, & acquiescit & fiduciam suam collocat in illo. Similiter Abrahami justificatio ab eodem Apostolo Rom. IV. in exemplum allegata, de qua Moses Gen. XII. scripsit: *Abraham credidit DEO, & reputatum est ei ad justitiam*: est bonum præteritum, illud vero respicit fidelis vera fiducia, & confidit in Gratia Dei, quæ Abrahamum credentem olim justificavit, & se quoque credentem justificat. Gratia etiam spiritualis, quam homo adultus, in sua infantia se accepisse in Baptismo credit, est bonum præteritum, confidit tamen in illa gratia homo adultus & pius, adeoque fiducia ejus respicit bonum præteritum. Dicimus II. Fidem justificantem ejusque fiduciam esse quoque bonorum præsentium: Christus enim quem fides apprehendit, & in quo confidit, & beneficia Ejus morte & resurrectione parta, non tantum præteritorum & futurorum sed etiam præsentium temporum bona sunt, ut Apostolus Hebr. XIII, 8. testatur, *Jesus Christus*, inquit, *heri & hodie, ipse & in secula*. Ipsum itaque ut præsentem Redemptorem, & beneficia ipsius ut præsentia bona respicit fidelis, & præsentem in eo habet confidentiam, sive, fiduciam, ut idem Apostolus in eadem Epistola & eodem Cap. v. 5. testatur, fidem in Dei promissionem, quam animo concipere debemus, hunc in modum describens:

scribens:

scribens: *Ipse dixit: non te deseram, neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor Est. Qui confidenter dicit, cum fiducia dicit: & qui confidenter dicit: Dominus EST mihi adjutor: illius fiducia utique bonum praesens respicit. Ex his manifestum esse putamus, non recte dictum fuisse à Bellarmino, quod fiducia solum bona futura respiciat.*

§. VI. Pergit vero Bellarminus, & Sexto, ait, *accedant etiam illa loca, ubi actus fidei dicitur esse, credere, ut Rom. IV. credidit Abraham DEO &c. Nam si scriptura divina per fidem intelligeret fiduciam, actum ejus explicaret per verbum fidere, non per verbum credere, &c. Sed nulla iterum vis concludendi inest huic argumento: nulla enim hæc consequentia est: in Scriptura actus fidei dicitur credere, Ergo fides non est fiducia: credere enim non excludit fidere, sed potius sæpe includit: nec recte aliquis colligeret, si diceret, hic credit, Ergo, hic non fidit: potest namque aliquis credere, ut fidat, quemadmodum ipse ille locus Rom. IV. *Credidit Abraham DEO*, satis clare testatur: Abraham enim ita credidit DEO, ut quoque confusus fuerit & fiduciam suam in Deum posuerit, quemadmodum supra in loci hujus examine pluribus ostensum est. Sed excipit Bellarminus: *Quod si, inquit, adversarii contendunt, ipsum etiam (credere) usurpari in sacris literis, pro eo quod est (fidere) aut confidere, cogentur absurdissime atque ineptissime loca plurima explicare, ut exempli gratia, cum dicitur Joh. XIV. Non creditis, quia Ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite. Actor. VIII. Credo filium Dei esse Jesum Christum. Rom. X. Corde creditur ad justitiam. Et infra: Si in corde tuo credideris, quia Deus eum suscitavit à mortuis, salvus eris. Hæc & similia non possunt nisi ineptissime accipi pro fiducia. Verum respondemus, utique ipsum (credere) usurpari in sacris literis, pro eo quod est (fidere) aut confidere: licet non in locis omnibus, in variis tamen, quod posterius nobis jam sufficit. Sentimus enim Fidem justificantem constare ex tribus actibus, qui sunt, Notitia, Assensus & Fiducia: fieri autem potest, ut in uno aliquo loco fides ab una parte denominetur veluti à notitia, e. g. quando Jesajæ Cap. LIII. dicitur: *in scientia sua justificabit ipse justus, servus meus multos*: in quo casu non inepte judicat ille qui dicit: licet in hoc loco fides vocetur notitia, hoc tamen non impe-**

impe-

impedit, quo minus alibi vocetur assensus: Similiter fieri potest, ut in uno atque altero loco fides denominetur ab assensu, & credere commode exponatur per assentire, in quo casu iterum non inepte judicat ille, qui sentit, locum illum non impedire, quo minus alibi vocetur fiducia: & ex hac causa non est necessarium, ut nos probemus, fidem in locis omnibus usurpari pro fiducia, & credere pro fidere; verum sufficit, si demonstremus hoc saltem ex locis quibusdam, vel, ostendamus, ipsum credere conjunctum esse cum fidere, idque nequaquam excludere: quod sane, de ipsis illis locis, quæ à Bellarmino allegata sunt, facile ostendi potest. Nam in loco Joh. 14. credere non excludit fidere, sed includit potius, voluit enim Christus, ut in se Judæi ita crederent, ut sibi quoque confiderent: nullam, certe ineptiam vel absurditatem committit, qui verba allegata sic interpretatur: Annon creditis atque assentitis, quod Ego in Patre, & Pater in me est? utique propter opera ipsa credite, & quidem cum confidentia, quam in me collocare debetis, quippe quam opera illa in vobis excitare debent. Sic sine omni absurditate vel ineptia locus Act. 8. hoc sensu exponitur. Credo cum confidentia filium DEI esse Jesum Christum, ita hoc credo, ut fiduciam meam in eo collocem. Confimiliter & locus Rom. 10. Corde creditur, & quidem cum fiducia, ad justitiam. Si in corde tuo credideris, quod Deus Jesum Christum resuscitavit à mortuis, ita ut omnem cordis tui fiduciam in eo collocaveris, salvus eris. Quoniam vero hæc non absurda tantum & inepta, sed absurdissima quoque & ineptissima visa sunt Bellarmino, ideoque ad loca etiam alia Scripturæ S. provocare possumus, in quibus fides pro fiducia, & confidentia, & credere pro confidere usurpatur, quorum nonnulla supra allegavimus, atque ex ipso Vulgato Interprete illud ostendimus: quibus unum adhuc addimus, in Epist. ad Hebr. Cap. X. v. 35. ubi Apostolus fidem, Confidentiam appellat, & auditores suos graviter exhortatur ne illam abjiciant, sed in ea constanter ad finem usque perseverent, *nolite, inquit, amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Quodenim hic per, *confidentiam*, intelligat, fidem, in qua perseverare, & tandem promissam remunerationem, vitam æternam animæque salutem acquirere debeant, ipse Apostolus in verbis mox sequentibus confirmat, *Justus autem meus, inquit, ex fide vivit. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ, Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem,* (id est, non sumus ex illorum numero, qui confidentiam suam amittunt, ut antea locutus est) *sed fidei,* (id est, ex illorum numero qui fidem, sive, confidentiam suam firmam retinent usque ad finem) *in acquisitionem animæ.* Sic Apostolus confidentiam per fidem exponit, quam expositionem è contextu petitam dum sequimur, extra omnem reprehensionem & erroris periculum versamur, nec quisquam, quantumvis etiam nasutus sibi videatur, ullo jure nos vel absurditatis vel ineptiæ accusare poterit; idque eo minus, quia hæc expositio antiquorum Ecclesiæ Doctorum consensum habet: Sedulius enim, qui anno Christi 430. vixit & commentarium suum in Epistolas S. Pauli ex Augustino, Hieronymo, Ambrosio, aliisque excerpfit, diserte, confidentiam, per fidem & fidem fortitudinem explicavit, quando prædictum Apostoli locum sequenti annotatione illustravit: *Confidentiam vestram] Fortitudinem fidei, & patientiam in tribulationibus. Nam justus meus ex fide vivit] quia vita corporis anima, vita animæ fides est, à qua si quis se subtraxerit, non placebit DEO.*